

De Asino Parvo

Senex et fīlius parvō cum asinō in viā prōcēdunt. Mox duae puellae eōs cōnspiciunt. Ait ūna, "Ecce! Stultī hominēs habent asinum, sed pedibus prōcēdunt, nōn ab animālī vehuntur. Trēs asinī, nōn ūnus, prōcēdunt!" Tum fīlius in asinum ascendit, et prōcēdunt, fīlius in asinō, pedibus pater.

Deinde eōs vident trēs senēs. Ait ūnus prō omnibus, "Ō tempora, Ō morēs! Ubi est pietās antīqua?" Magnō cum dolōre afficitur fīlius, et dēscendit, pedibusque prōcēdit. Pater in asinum ascendit.

Deinde accūsant fēminae duae ūnā vōce patrem, quod fīlius parvus tantum labōrem sustinet. Senex igitur fīlium quoque in asinum impōnit. Et pater et fīlius in asinō sedent.

Mox autem viātor murmurat, "Asinus tam parvus est. Cūr hominēs ab asinō vehuntur? Cūr hominēs validī nōn ambulant? Cūr animal nōn portant?" Verbīs afficiuntur et pater et fīlius. Ambō dēscendunt et animal parvum portant duo hominēs. Omnēs rīdent quod hominēs tam stultī sunt.

Tandem pater, "Nihil," inquit, "ab omnibus probatur."
Asinum igitur dēpōnunt et omnēs magnō gaudiō pedibus prōcēdunt.